

Verum enim vero non perpetuo durabit hæc induratio (obfirmatio) Judæorum, sed quemadmodum vos occasione eorum incredulitatis ad fidem pervenistis, ita & ipsi occasione vestrae fidei ad veram fidem in Christum pervenient. Nam quod illorum incredulitatem attinet, in quâ quidem ad tempus justo Dei judicio derelicti sunt, occasione vestrae acceptationis, illa sanè tandem isthuc tendet, & ad hunc finem salutarem à Deo dirigetur, qui omnia in bonum convertere novit, *ut & ipsi increduli Judæi demum misericordia afficiantur.* Siquidem olim futurum est, ut Deus zelare illos faciat v. n. h. e. incitat ad pium zelum, quo Christianos æmulari, imò & superare in devotione erga Messiam nitentur.

Neque enim est, quod de futura Judæorum conversione dubitari debeat, siquidem Deus sapientissimus in omnibus operibus suis juxta ac clementissimus perpetuo inde à mundi origine hunc ordinem observaverit, ut quosdam homines, quos scil. prævidit tanquam omniscius fore, ut Spiritui S. suâ effrenatâ libidine atque obstinatione obicem non ponerent, in gratiam receperit, verbo suæ gratiæ cæterisque mediis salutis beaverit, quosdam autem, quos prævidit non obsequentes fore Spiritui S. reliquerit in suâ contumaciâ & incredulitate. Cæterum utrosque tūm hos tūm illos primūm in incredulitate inveniit & ad tempus reliquit, ut posteà majori zelo ad se quærendum & colendum homines incitaret. Ita etiam se res habet in hoc negotio præsenti, scil. rejectione Judæorum, & susceptione Gentilium.

*Conclusit (detinuit) enim Deus (hos) omnes, tām Gentes quam Judæos, in incredulitatem, non ut causa efficiens vel promovens hujus incredulitatis, quæ enim Deo voluptas in miserorum mortaliū interitu? sed non impediendo effrenem voluntatem, suâ quasi naturâ ad incredulitatem pronam, i. e. hominem sibi relinquentendo. Nec tamen perpetuo eos in hac incredulitate permanere finit, sed tandem ex gratuita clementia eos Spiritu S. illuminat, & ad salvificam fidem convertit. Porro autem præcedaneam incredulitatem ad optimum finem sapientissimè dirigit: sic enim Deus conclusit illos omnes in incredulitatem, *ut illorum omnium misereatur,* Gentes quidem in incredulitatem vergere atque inclinatos esse passus est, *zum Unglauben behalten;* idque justo judicio, quo rebellionem & contumaciam ipsorum punivit, attamen hoc insuper*